(Honoré Fabri) Pierre Mousnier – *Philosophiæ tomus primus qui complectitur scentiarum Methodum sex libris explicatam : Logicam Analyticam, duodecim Libris demonstratam, et aliquot Controversias logicas, breviter disputatas,* Lugduni, Ioannis Champion, in foro Cambij, 1646.

Lib. III, *De Methodo Physicæ,* art. 2 (*De aliis qui post Aristotelem de rebus Physicis scripserunt*), s. 1-3, p. 79.
I. Omitto enim Antiquos illos qui Aristotelem antecesserunt, Democritum, Platonem, etc. Omitto etiam antiquos Aristotelis Interpretes, et eos omnes qui litigiosum dicendi genus sequuntur, quod minime in rem Physicam cadere potest, inter quos tamen Conimbricenses reliquis omnibus mihi videntur esse præferendi.
II. Albertus Magnus de rebus Physicis plurima scripsit, et inter cætera Mineralogiam ; Agricola, de re Metallica, et fossibilibus accurate disputat ; Anselmus Boëtius de gemmis et lapidibus ; De magnete Gilbertus, Gabæus, Kilker, Galilæus ; cursim de animalibus Aldroandus, Rondeletius, Dioscorides de plantis ; Præter antiquiorem Theophrastum et Dioscoridem habes Dalechamp, Cæsalpinum, et Costæum ; De ipso homine conferta Medicorum turba ; de Meteoris Fromundus : de Iride præter Bisdomini **Renatus Descartes**, omnium optime de lumine Keplerus, et aliquot recentiores ; Adde Fortunium Licetum, in suo Lapide Bononiensi ; De Coloribus plurimos habes, sed omnes superat meo iudicio in suo libello Sauotius. De sonis multa habes apud Mersennium, tum in Quæstionibus Physicis, tum in universali Harmonia, Pauca habes Aguillonium, Scheiner, **Descartes**, et rara experimenta apud Gassendum, in Epistolis de motu locali ; Præter libellum Varronis et mechanicos habes Galilæum in dialogis de nova Scientia, in quibus etiam agit de resistentia corporum, et Mersennium in omnibus fere suis libris, sed præsertim in hydraulica et Balistica. Innumera experimenta habes apud Portam, Cardanum, Plinium ; Adde Thomam Anglum, et multos alios recentiores.
III. Inter illos omnes pauci sunt qui apodictice res Physicas explicent, et ex principiis certis ratiocinentur, nihil de cuiusquam laude detractum velim ; quippe viros doctos summopere veneror ; tamen ausim dicere, vix dum esse principia Physica, ab omnibus probata et recepta, per quæ affectiones rerum corporearum demonstrentur ; quod ne gratis dicere videat, unicum argumentum de Motu locali propono, de quo novam scientiam Galilæus excogitavit ; agit autem de motu naturaliter accelerato ; de motu in diversis planis, et de motu projectorum perl lineam horyzontalem, vel aliam inclinatam. De motu naturali supponit. Primo, et recte æqualibus temporibus acquiri æqualia velocitatis momenta, quis hoc neget ? demonstrari tamen oportuit. Secundo, proponit æquali tempore acquiri motu naturaliter accelerato, spatium idem quod acquiritur motu æquabili, cuius velocitas sit subdupla maximæ et minimæ prioris, sed non observat etiam hoc accidere, licet spatium acquisitum sit summa terminorum progressionis Arithmeticæ simplicis.

Lib. IV, *De Methodo Theologiæ Naturalis, et Metaphysicæ,* art. 3 (*De Metaphysica aliorum qui post Aristotelem scripserunt*), ss. 1-3, p. 102.
I. Certe ut dicam quod res est, nemo fere est qui res Metaphysicas apodictice tradiderit, sed passim omnes litigiosum dicendi modum tenuerunt (non sine laude fateor) propositis, discussisque plerisque quæstionibus, propositis, reiectisque aliorum opinionibus, congestis rationibus, objectionibus, instantiis, responsionibus, etc.
II. Inter alios in hoc genere Pater Franciscus Suarez absolutissimum opus edidit, 54. Disputationibus ; Prima continet prolegomena. 2. de conceptu entis. 3. de passionibus entis. 4. de unitate transcendentali. 5. de individuali. 6. de formali et universali. 7. de distinctione. 8. de vero. 9. de falso. 10. de bono. 11. de malo. 12. de causis entis in communi. 13. de causa materiali substantiæ. 14. de causa materiali accidentium. 15. de causa formali substantiali. 16. de formali accidentali. 17. de efficiente in communi. 18. de proxima efficiente. 19. de necessaria libera et contingente. 20. de prima causa efficiente et creatione. 21. de eadem prima et conseruatione. 22. de eadem et concursu. 23. de finali in communi. 24. de ultimo fine. 25. de exemplari. 26. de comparatione causæ et effectus. 27. de comparatione causarum inter se. 28. de ente finito, et infinito. 29. de Deo, an sit. 30. de Deo quid sit. 31. de essentia entis finiti. 32. de divisione entis in substantiam et accidens. 33. de substantia creata in communi. 34. de prima substantia. 35. de substantia immateriali creata. 36. de materiali in communi. 37. de conceptu accidentis. 38. de comparatione eiusdem ad substantiam. 39. de divisione in 9. genera. 40. de quantitate continua. 41. de discreta. 42. de qualitate. 43. de potentia. 44. de habitus. 45. de contrarietate qualitatum. 46. de intensione. 47. de relatione. 48. de actione. 49. de passione. 50. de duratione. 51. de ubi. 52. de situ. 53. de habitu. 54. de ente rationis.
III. Plures alii de rebus Metaphysicis scripserunt, tum antiquiores, tum recentiores, Fonseca fusissime qui textum etiam Aristotelis doctis commentariis explanat ; Non est etiam omittendus vir Nobilis **Renatus Descartes**, qui sex Meditationes Metaphysicas ut vocat conscripsit, quarum Prima est de iis quæ in dubium revocari possunt. Secunda, de mente hominis quod notior sit corpore. Tertia, de Deo quod existat. Quarta, de

vero et falso. Quinta, de essentia rerum materialium ; et de Deo quod existat. Sexta, de existentia rerum materialium, et reali mentis a corpore distinctione ; quibus adde objectiones eidem factas a doctissimis Theologis, Philosophis, Geometris, sed præsertim ab acutissimo et subtilissimo Gassendo, cum responsionibus et novis instantiis.

(Honoré Fabri) Pierre Mousnier – *Metaphysica demonstrativa, sive scientia rationum universalium.* Lugduni, Ioannis Champion, in foro Cambij, 1648

Lib. VII, *De causis, et actione,* prop. 22, p. 277.
Causa efficiens ut agat debet existere, agat inquam immediate : quia agere, est proprietas realis ; igitur est entis realis, per ax. 3. dixi immediate ut lites omnes fugiam ; imo in actu primo debet existere, quia non minus posse agere, est proprietas realis, quam agere : hæc propositio principii loco esse posset, et nemo de illius veritate unquam dubitavit ; cum ex eo quod res agat, existere illam omnino concludatur ; adde quod entitas effectus, est ab entitate causæ, per p. 16. Denique quidquid continet virtute entitatem, et existentiam effectus, revera existit ; hinc vulgare illud dictum, nemo dat quod non habet, scilicet virtute ; sed virtus illa est aliquid reale, per prop. 18. Hinc qui agit et novit evidenter se agere, inde certe colligit se existere : Hinc quivis ex minima etiam cognitione, potest demonstrare se existere ; quia scilicet cognitio est sui cognitio, simul et obiecti ; imo potest esse tantum probabilis, et obscura cognitio obiecti, et esse certa et evidens cognitio sui ; tam enim certus sum, me cognoscere probabiliter, omnem matrem diligere liberos, quam certus sum me cognoscere certo, omne totum esse maius sua parte. Hinc ingeniosus **Cartesius** ex eo quod cogitet, colligit se esse rem cogitantem ; sed ni fallor, ex eo quod quivis, sentiat, colligit se esse rem sentientem cum non minus visio sit sui visio, quam cognitio sui cognito, ut suo loco videbimus : nec dicas sensum subesse fallaciæ, nam subest quidem fallaciæ, ratione obiecti exterioris, non tamen affectionis impressæ sensui, præsertm interno ; igitur ex suppositione quod sentire, et cognoscere, dicant agere, ex utroque certe colligitur existere ; quod nemo negabit ; hanc autem utramque suppositionem in tractatu de homine demonstrabimus.

(Honoré Fabri) Pierre Mousnier – *Tractatus physicus de motu locali, in quo effectus omnes, qui ad impetum, motum naturalem, violentum, et mixtum pertinent, explicantur, et ex principiis Physicis demonstrantur*. Lugduni, Apud Ioannem Champion, in foro Cambij, 1646.

Lib. III, *De Methodo Physicæ,* theorema 85, pp. 263-264.
Theorema 85.
Cum proiicitur globus in aquam per lineam incidentiæ obliquam, si non reflectitur ab ipsa superficie aqua ; incurvatur eius linea producta per mediam aquam, v.g. sit vas A B D G, solidum aquæ vase contentum C B D F ; linea obliqua incidentiæ globi projecti I H, producta H D : dico quod frangetur in H, et quasi refringetur in H E ; experientia certissima est, ratio vero est, quia cum vis reflexiva puncti H sit aliqua, hoc est, cum sit aliquid determinationis novæ, quæ haud dubie minor est priore, debet necessario mutari linea ; quod autem sit aliquid determinationis novæ in H, patet ex eo quod angulus incidentie sit valde obliquus, reflectitur globus ; igitur in altero angulo incidentiæ debet esse aliquid novæ determinationis. Secundo, quia plus resistit aqua, quam aër ; igitur frangitur prior determinatio, et hæc est vera ratio huius effectus, quem aliqui observarunt ; Et forte dici posset refractio motus, quæ prorsus est contraria refractioni luminis ; quippe refractio luminis talis est, ut radius primo medio raro in densum incidens incurvetur ad perpendicularem, cum tamen linea motus oblique incidens e medio raro in densum incurvetur | a perpendiculari : An forte etiam ex hoc phænomeno duci potest vera mensura, seu regula refractionum, quod ingeniosissime excogitavit vir illustris **Renatus Descartes** in sua Dioptrica ; sed discrimen maximum est, quod luminis diffusio seu propagatio nullum dicat motum localem, ut suo loco demonstrabimus ; quippe lumen qualitas est, ut impetus ; quod tamen ad rem præsentem nihil prorsus facit.